Aquisgrani civitatem cum magna principum multi-
tudine obsedit, ipsam ad dedicionem absque longo
temporis dispendio violenter compulit et coegit.
Namque ex industria Fresonum cuiusdam aquare-
stringendo cursum tantam in ipsam civitatem
fecit inundacionis profluvium, quod diucius re-
sistere non valebant. His itaque habitis victoriis
una cum venerabili patre Hugone, apostolice
sedis legato, ad partes accessit Saxonie, ubi filiam
illustris principis Ottonis, ducis de Brunswigk,
duxit in uxorem. Cum igitur peragerentur nup-
ciarum solempnia magnifice, prout regalis ex-
cellencia exposcebat, ecce in ipso noctis silencio
ex quadam ministrorum incuria ipsa aula, in qua
rex cum nova coniuge accubuit, succenditur, vix
rex cum coniuge nudus evasit. Incendio vero
omnia ornamenta sua et multa que secum
adduxerat perierunt. Postmodum vero ad civitatem
Hallis pervenit, ubi cum magno honore suscep-
tus est. Ibi plures principes Almanie ab ipso feo-
dalia sua receperunt. Post hec idem rex Wilhelmus
cum exercitu suo terram devastavit Fresonum,
ut ipsam imperatorie subiceret dicioni, heu!
modo seductus animositate quosdam Fresones,
quos aspexit in littore, cum paucis insecutus,
est ab ipsis miserabili morte interemptus
sub anno Domini MCCLVI. Eodem anno Erich rex
Dacie occiditur.

Anno Domini MCCLX. Inter Bohemie et Un-
garie reges grande bellum oritur. Ungarus qui-
dem Ruthenos, Tartaros, Littones, Walachones ac
diversas barbaras naciones innumerabili
multitudine secum adduxit ad prelium. Bohemus
vero diviciarum thesauros aperiens tam larga mi-
litibus dona distribuit, quod ad se non modicam
Theutonicorum evocavit miliciam. Cum igitur ex

fresonum

tantam

c) Incendium

mo